



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CLIII. An ratio doni sit proprietas Spiritus sancti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

ARTICVLVS II.

*Utrum donum sit proprium nomen
Spiritus sancti.*

201.
1. d. 18. art. 1.
Et ver. qu. 7.
art. 3. 5.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod donum non sit proprium nomen Spiritus sancti. Donum enim dicitur ex eo quod datur. Sed sicut dicitur Isa. 9. Filius datus est nobis: ergo esse donum conuenit Filio, sicut Spiritui sancto.

2. Præterea. Omne nomen proprium alicuius personæ significat aliquam eius proprietatem: sed hoc nomen, donum, non significat proprietatem aliquam Spiritus sancti. Ergo donum non est proprium nomen Spiritus sancti.

3. Præterea. Spiritus sanctus potest dici spiritus alicuius hominis, sed non potest dici donum alicuius hominis, sed solum donum Dei. Ergo donum non est proprium nomen Spiritus sancti.

Libro 4. de
Trin. c. 20. d.
med. 10. 3.

Sed contra est quod August. dicit in 4. de Trinitate: Sicut natum esse est Filio à patre esse, ita Spiritum sanctum donum Dei esse est à Patre & Filio procedere. Sed Spiritus sanctus sortitur proprium nomen inquantum procedit à Patre & Filio. Ergo & donum est proprium nomen Spiritus sancti.

Respondeo dicendum, quod donum secundum quod personaliter sumitur in diuinis, est proprium nomen Spiritus sancti. Ad cuius euidentiam sciendum est, quod donum proprie est datio irredibilis, secundum philosophum, id est, quod non datur intentione retributionis. Et sic importat gratuitam donationem. Ratio autem gratuitæ donationis est amor. Ideo enim damus gratias alicui aliquid, quia volumus ei bonum. Primo ergo, quod datur ei, est amor quo volumus ei bonum. Vnde manifestum est, quod amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur. Vnde cum Spiritus sanctus procedat ut amor, (sicut iam dictum est) procedit in ratione doni primi. Vnde dicit Augustinus 15. de Trinitate, quod per donum, quod est Spiritus sanctus, multa propria dona diuiduntur membris Christi.

207. art. 1.

Libro 15. de
Scrip. cap. 19.
ante med.
10m. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Filius, quia procedit per modum verbi, quod de ratione sua habet quod sit similitudo sui principij, dicitur proprie imago, licet etiam Spiritus sanctus sit similis Patri: ita etiam Spiritus sanctus, quia à Patre procedit ut amor, dicitur proprie donum, licet etiam Filius detur.

33.

ARTIC. II.

Hoc enim ipsum, quod Filius datur, est ex Patris amore, secundum illud Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.

Ad secundum dicendum, quod in nomine doni importatur quod sit datus per originem. Et sic importatur proprietas originis Spiritus sancti, quæ est processio.

Ad tertium dicendum, quod donum antequam datur, est tantum dantis: sed postquam datur, est eius cui datur. Quia igitur donum non importat dationem in actu, non potest dici quod sit donum hominis, sed donum Dei dantis. Cum autem iam datum est, tunc hominis est vel spiritus, vel datum.

CONCLUSIO affirmans. Veraque vero explicanda nobis est disputationibus sequentibus.

DISPUT. CLIII.

An ratio doni sit proprietas solius Spiritus sancti.

Varia Scholasticorum opiniones, cap. 1.

Donum, quod natura sua donum est, proprietatem esse Spiritus sancti, verior sententia est, cap. 2.

CAPVT I.

Varia Scholasticorum opiniones.

INter reliqua nomina, quæ Spiritui sancto à Theologis præsertim verò ab Augustino, tribuuntur, est donum. de quo nihilominus varia fuerunt Scholasticorum placita. Prima opinio sit Durand. in 1. dist. 18. quæst. 1. qui supposita definitione dei tradita à S. Tho. in art. 1. & 2. in qua duplex respectus includitur, alter ad donantem, alter ad eum, cui fit donatio, primum docet donum in diuinis solum posse appellari respectu creaturarum, ita tamen proprie conuenire essentia diuinæ, quatenus creaturis donari potest, sicut cuiusque personæ: nam tam essentia, quam persona creaturæ rationali donatur. Probat vero, quia eadem Deus creaturæ rationali donatur, quatenus datur ut obiectum cognitum, & dilectum, vel per modum rectoris, & gubernatoris peculiarem curam habentis: hæc autem liberalis donatio æque conuenit essentia, & personæ, ut patet: ergo ratio doni utrique communis est.

Deinde subdit hanc communem rationem doni appropriari tertie personæ, eo quod illa secundum appropriationem etiam procedere dicitur per amorem: amor autem habet rationem primi doni, ut etiam dixit S. Thomas in art. 2. Ergo idem existimat de nomine amoris, & de nomine doni, ut utrumque appropriatione solum tribuatur Spiritui sancto.

Hæc sententia falso nititur fundamento, ut enim vidimus disputatione 111. capite 1. censet Durandus Spiritum sanctum non procedere à Patre & Filio per voluntatem, sed proxime per naturam; ideoque illi non proprie conuenit rationem amoris producti, ac proinde nec doni. Si

autem existimaret Spiritum sanctum per voluntatem procedere, non dubitaret peculiarem rationem doni illi concedere: fateatur enim primum donum esse amorem productum; falsum autem esse fundamentum illius disp. citata cap. 2. ostensum est.

Secunda sententia sit Ocam, quam refert *Marfilus in 1. q. 2. art. 1. notatione 3. & Gabrielis 1. dist. 8. quest. vnica. artic. 1.* asserentium donum bifariam posse vlturpari; vno modo pro eo, quod gratis alicui dari potest, & hoc pacto non solum Spiritui sancto, sed etiam cuilibet personæ conuenit ratio doni: quolibet enim earum gratis donari potest creaturæ, *Filius enim datus est nobis*, *Ela. 9. capit. & Ioan. 3. Vt Filium suum vnguentum daret*; sic autem donum includit respectum ad creaturas, quibus donatur, vel donari potest. Altero modo dicitur donum id, quod procedit ex vi amoris alicuius obiecti, non quia liberaliter alicui datur: hoc autem modo Spiritus sanctus habet rationem doni respectu creaturarum, quibus liberaliter donetur, sed respectu Patris & Filij; quia est vtriusque mutus amor: quare erit donum Patris in Filium, & Filij in Patrem; sicut etiam est amor vnus in alterum, & contra. Sic docuit *Gab. in illa quest. art. 2. conclus. 1.* Quia quidem ratione idem *Gabr. existimauit*, essentiam diuinam esse donum Patris in Filium, cui ab æterno donatur à Patre; cui consentit *Capreolus dist. illa 18. quest. 1.* & videtur probari ex Hilario: octauo enim de Trinitate, circa medium ait, essentiam esse donum, quod Pater dat Filio.

Verum, vt optime notatur *Durand in 1. dist. illa 18. quest. 1. numer. 10.* *Marfil*, loco citato, & *Canariensis* 1. parte commentarij huius quest. essentia diuina non potest vilo modo dici donum respectu alicuius personæ accipientis illam, aut vna persona respectu alterius personæ: nec enim nominibus, prout libet, vtendum est, vtriusque illorum excogitandæ sunt significationes: sed apud Theologos denotare debent id, quod communi vsu apud Philosophos, & peritos significant: donum autem teste *Arist. 4. Topic. cap. 4.* est datio irredibilis, hoc est, gratuita & liberalis, ac proinde ex nulla necessitate proueniens: sed talis esse non potest inter diuinas personas, si mutuo comparentur, neque si essentia diuina cum illis conferatur; ibi enim nulla liberalis datio interuenire potest; ergo necin eis donum reperitur. Accedit, quod si prædicto modo donum acciperetur in diuinis, non posset constitui proprietates Spiritus sancti, quod est contra Augustini doctrinam 4. de Trinitate, c. 20. vt infra explicabimus.

Tertia opinio est *Canariensis* secunda parte prædicti commentarij, qui asserit, tribus modis accipi donum. Nam cum donum duplicem habeat respectum, & ad eum, qui donat, cuius dicitur esse, & ad eum, cui donatur; dici potest donum, primo quidem, vt est alicuius donantis per indentitatem, & sic essentia diuina est donum, & quæcunque persona sui ipsius, quia se ipsam creaturis gratis donare potest: secundo modo dicitur donum, quod est alicuius per originem, & donari potest; sic ratio dum tamen conuenit personæ procedenti, hoc est, Filio, & Spiritui sancto; quia hæc tantum sunt alicuius per originem. Tertio vero dicitur donum id, quod non tantum est alterius per originem, & donari potest: sed etiam ex vi suæ

Vázquez in 1. part. Tom. 2.

originis procedit vt donum: & hoc modo solum conuenit Spiritui sancto, qui cum procedat vt amor, vt suæ originis, habere videtur rationem doni. Hanc sententiam tradidit *Marfilus in 1. q. 21. artic. 1. notat. 4.* putatque *Canariensis*, esse sententiam *S. Thomæ* in art. 1. ad 1.

Ego quidem fateor tres acceptiones doni assignari à *S. Thoma* in ea solutione primi, vel quando est idem cum donante, & hoc modo essentiam diuinam posse dici donum; vel quando est possessio donantis, vt seruus; vel tertio modo per originem, quando donum procedit à donante, & sic conuenire cuius personæ procedenti, quæ ab ea, à qua procedit, per missionem, quam mittitur ad creaturas, donari potest. Addit vero *Canariensis* aliam acceptionem, omittit scilicet illa, quando scilicet id, quod procedit, vi suæ originis procedit vt donum: & hoc pacto inquit proprium esse Spiritus sancti. *S. Thom.* eo loco concludit solum tertio illo modo posse esse personalem, & cuius procedenti personæ conuenire: sed art. 2. docet, vltimo illo modo esse proprium Spiritus sancti, id quod amplius à nobis explicari oportet: neque enim tam multiplices acceptiones doni assignandæ sunt.

CAPVT II.

Donum, quod natura sua donum est, proprietatem esse Spiritus sancti, verior sententia est.

NE in certa huc, illucque nostra vagetur disputatio, primum omnium statuenda est definitio doni; deinde quæ ad illius plenam intelligentiam necessaria fuerint adducenda. Donum igitur, teste *Arist. 4. Top. cap. 4.* prope finem est, datio irredibilis, hoc est, sine spe & pacto retributionis, ac si dicas, est datio liberalis ex amore. Quare videndum est, an hoc modo alicui personæ peculiari ratione conueniat, esse donum: nec enim nouas acceptiones, aut etiam definitiones doni ex nostro capite comminisci licitum est. Ex hac vero definitione primum manifeste liquet donum respectum habere, tum ad eum, qui donat liberaliter, tum etiam ad eum, cui fit donatio: deinde patet donum solum appellari id, quod naturæ rationali donari potest; hæc enim sola capax est liberalis & gratuita donationis, vt ait *August. lib. 4. contra Iulianum. cap. 3.* non longe à principio. Postremo vt notauit *Caiet. in art. 1. & colligitur ex S. Tho. in corp. constat*, donum esse super facultatem accipientis, eo quod sola voluntate donantis confertur.

Præterea obseruandum est non tantum esse donum id, quod actu donatur, sed donum etiam appellari illud, quod donari potest, vel ad id deputatum est. Ita docuerunt *S. Tho. art. 1. ad 4. Bonauent. in 1. dist. 18. q. 2. Gabr. art. 1. Marfilus in 1. q. 21. art. 3.* quos sequitur *Canariensis in hoc articulo*. Quare quod Spiritus sanctus ad æterno nulli donetur, nihil obstat, quo minus vere donum dicatur. Id præse tradit *August. lib. 5. de Trinit. cap. 15.* in fine, cum ait: *Aliter enim intelligitur, cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum: donatum potest esse, antea quam detur, donatum vero, nisi datum fuerit nullo modo dici potest.* Quare cum idem *Augustinus 15. de Trinitate, capit. 19.* inquit: *In tantum ergo donum Dei est, in quantum datur, eis, quibus datur; ita est intelligendus, vt loquatur de dono, quatenus donatum est*

est, vel ita, ut pro eodem accipiat dari, & aptū esse, ut detur. Porro ipsum loqui de dono, quatenus donari potest, intelligitur ex verbis, quæ de eodem Spiritu sancto mox subiungit: *Apud se autem Deus est, etiamsi nemini detur, quia Deus erat Patri & Filio coæternus, antequam quidquam donaretur.* Ergo cum 4. de Trinitate, ut infra videbimus, August. affirmet donum esse proprietatem Spiritus sancti; efficitur, ut eo etiam loco asserat ipsum esse donum, antequam actu donetur.

Id quod natura sua donum est, proprietatem est Spiritus sancti.
S. Thomas. Bonavent.

His positis, quæ indubitata esse debent, vera sententia est, rationem doni, quod sua natura donum est, esse proprietatem Spiritus sancti, & nulli alteri convenire personæ. Sic docet S. Thom. in artic. 2. bonavent. in 1. dist. 18. quæst. 4. intelligunt autem donum respectu creaturarum, quibus donari aptum est vi suæ processionis. Ceterum pro explanatione prædictæ sententiæ obserua, dupliciter accipi posse donum, vno modo pro quacunque re quæ liberali voluntate ei accedente donari potest: huic autem rei ratio doni provenit extrinseca tantum denominatione à voluntate donantis, quæ illi omnino accidentaria & extrinseca est. Hac ratione donum dici potest, non tantum quæcumque divina persona, & ipsamet essentia divina; sed etiam quæcumque res creata, quæ liberalis donationis materia esse potest: nam & divina essentia, & quævis persona divina; & res creata donari potest. Adde quod Spiritus sanctus alia quoque ratione habet esse donum, quod donari potest, ut statim patebit nihilominus hac priori acceptione etiam donum est respectu sui tanquam donantis, hoc est, si cogitemus Spiritum sanctum seipsum donare cum essentia divina, & cum aliis personis, sicut donatur, cum venit in animam iusti, iuxta illud, *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, sic est donum creaturarum, quod à seipso donatur, sicuti Pater, & Filius, hæc tamen non est proprietas Spiritus sancti, cum multis aliis communis sit.

Donum posteriori acceptione est proprietas Spiritus sancti.

9. Eadem missione qua mittitur Spiritus sanctus donatur ab eo à quo mittitur.

Altero modo dicitur donum, quod natura sua & proprietate substantiali donum est. Hoc autem modo est proprietas solius Spiritus sancti, id enim habet vi suæ productionis, non voluntate aliqua ei accidentarie aduenienti, sicut in priori acceptione contingit. Atque hoc modo puto necessariam esse distinctionem realem inter donum, & eum, qui donat: id quod hac ratione melius explicabitur. Missio Spiritus sancti, quæ ad nos aliquando mittitur; est ipsamet æterna processio, addito solum respectu rationis ad creaturas, ad quas mitti dicitur ratione alicuius peculiaris effectus, ut disp. 170. ostendemus eadem autem missione, quæ Spiritus sanctus mittitur donatur ab eodem, à quo mittitur: cum enim missio hæc sit natura sua amor; & quatenus denotat ordinem ad creaturas, sit gratuitus, sicut is, qui ea mittitur, liberaliter quoque donetur. Habet igitur Spiritus sanctus vi suæ processionis, quæ est amor intrinsece posse donari, non voluntate & amore ei aduenienti, ut principio donandi, sed ipsomet amore, quo substantialiter procedit, ut ipsa donatione, quia amore etiam ipso substantialiter mittitur: & ipsa missio est donatio: at vero Filius, etiam quando à Patre mittitur, à quo procedit, non mittitur amore ipso, hoc est, missio illius non est amor substantialiter, sed est intellectio: ei autem additur amor quasi accidentarie & tanquam principio, quo

mouetur Deus Pater, ut Filium suum generatione & intellectione, tanquam missione mittat & donet: ergo Filij processio non est substantialiter ipsa donatio: quia non est amoris processio: sed est donatio ratione solum amoris, quo tanquam principio mittitur, & donatur: cum tamen Spiritus sanctus ipsa dilectione æterna ut missione mittatur, & ut donatione donetur. Quomodo vero ipsa missio sit æterna personæ processio, eo loco ex doctrina Patrum & ratione monstrandum est. Hæc sane est proprietas Spiritus sancti, de qua Augustinus sequenti disputatione allegandus dixit eo esse donum, quod est spiritus: quæ nulli alteri personæ diuinæ, nec creaturæ aduenire potest: nam quæcumque alia non est substantialiter, sed extrinseca solum denominatione amor.

Ex dictis sequitur primum, quæ ratione primum donum dicatur amor, nimirum quia amor, si donari posset inter homines, sicut res alia, substantialiter & vi suæ processionis esset donum: cetera autem ex ipso dona dicerentur.

Deinde patet, recte dici cum Aug. 5. de Trin. 4. 4. Filium procedere à Patre, ut natum: at vero Spiritum sanctum ut datum, quia Spiritus sanctus procedit substantialiter amore & dilectione, quæ est ipsa donatio. Quare spiritus non solum ut spiritus, sed etiam ut donum, substantialiter procedit: at vero Filius procedit per intellectiōem, quæ substantialiter non est donatio, sed generatio. Quod vero per generationē produciatur, exit ut natum, & eius origo dicitur nativitas.

Sed obijciat, Filium quoque dici posse substantialiter donum, quia cum sit substantialiter Deus, & Deus sit suapte natura amor & charitas, erit substantialiter donum. Respondeo, sicut Spiritus sanctus est sapientia natura sua, non tamen dicitur productus sapientia, quia non procedit per intellectum: sic etiam Filius est amor essentialiter, quia Deus est; non tamen est productus amor, quia non procedit per voluntatem. Ad rationem autem doni, quod donari aptum est, non sufficit esse amorem essentialiter; sed requiritur esse productum amorem, ut ipsiusmet productio sit substantialiter donatio: hoc autem proprium est Spiritus sancti.

Quomodo autem, cum respectus ad creaturas, qui significati videntur nomine doni, Spiritus sancto omnino extrinsece & accidentarie conveniant, nihilominus donum sit eius proprietas personalis, sequenti disputatione patebit.

DISPUT. CLIV.

An ratio doni conveniat Spiritui sancto ratione essentia, vel proprietatis personalis.

Quid sentiant Scotus, & Caietanus, cap. 1. Spiritum sanctum ratione suæ proprietatis personali, non tantum esse spiritum, sed etiam donum, verum sententia est, cap. 2. Corollarium præcedentis doctrinæ, cap. 3.

CAPVT I.

Quid sentiant Scotus, & Caietanus.

Variant quoque Doctores in hac controversia; ex variis namque principiis diversæ conclusioni ligi necesse est. Scotus 1. distinctione 18. quæst. 1. docet